



Dissertatio medica inauguralis de passione hysterica

<https://hdl.handle.net/1874/343817>

39.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PASSIONE HYSTERICA,

QVAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissimo
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS;
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè & legitimè consequendis,

Publica disquisitione subjicit

JOHANNES MAJUS, ARGENTORATENSIS.
Philof. Doct.

Ad diem 15. DECEMBRIS, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc XCII.

DISPUTATIO MEDICA

ANNO 1595 A.D.

PASSIONE HISTRIO

PASSIONE HISTRIO

M. GERARDI de VRIES

Hildegardis Dejanae, quod huiusmodi tractatibus in linguis

Archimedes Utriccius Prodigiosus Orlamonti

NEDCUNO

Progenitores Cypriani, Apollonius

PRO ORYADES OETONIA THERESIUS

Studiorum MEDICINA Historiarum & Privilegiarum

LONDINENSIS LIBRARIA VENETIANA

Universitate Londinensis

Proprietas Universitatis Londinensis

Accedit Recensio Librorum Medicorum Londiniensium

Etiam Quatuor Libri de Medicina

Proprietatis Universitatis Londinensis

Proprietatis Universitatis Londinensis

Proprietatis Universitatis Londinensis

Ex Officina F. K. MAGISTERI HALANI, Accedit

Thesaurus Hippocraticus, ap. dec. xxi.

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

PASSIONE HYSTERICA.

§. I.

Uterus ignobilis quidem loco, inter stercore & urinas, intestinum videlicet rectum & vesicam urinariam in Hypogastrio situs; nihilominus ob nobilissimum munus, quo prima corporis nostri statimina, delineationes tubulosque subtilissimos nulli hominum satis comprehensibiles, in se continet, sovet & ab injuria externa, quantum in se est, defendit, usque dum eam fuerint extensionem consecuti, ut foetus tali involucro non amplius indigens extra hoc domicilium vivere queat, inter partes corporis muliebris principes jure meritoque resertur. Verum enim vero munus hoc egregium infinitas partim ipsis, partim toti corpori feminino procreat molestias, ita quidem, ut sanitas vel ægritudo mulierum abhinc saepe unice dependere videatur. Græcis ὑστέρα vel ὑστέρη vocatur, an ideo quod in postremo seu infimo abdominis loco sedem habeat (ὑστέρη enim postremus Græcis est) Philologis relinquo. Mihi impræsentiarum sufficit, inde deduci ὑστέρης, uterinus, vocabulum Hippocrati quoque usurpatum: vid. Coac. Pre-not. t. 349. & 554. &c. Et inde passionem Hystericam morbum istum uterinum dici, quem in hac dissertatione perpendere animus est. Divinum Numen adsit conatibus!

§. II. Variis aliâs hoc malum insignitur nominibus: Pluribus dicitur suffocatio seu strangulatio uteri, Græcis πνιξ ὑστεραι: eò quod morbo hoc detentis respiratio aliquo modo intercipiatur, ut strangulari videantur. Aliis placet suffocationis hypochondriacæ nomen, quoniam in solis hypochondriis causam ejus latitare putant. Verum hoc falsum esse sequentia ostendent. Nonnulli appellant Epilepsiam vel convulsionem hysterica, non inepte quidem; Variis enim motibus convulsivis ab utero oriundis in tali casu corpus tunc solet vexari. Mihi arrisit communissimum

nomen, quō passio Hysterica à plerisque Practicorum appellatur. Quamvis enim hæc denominatio latior aliquantum videatur & aliis quoque morbis uterinis competere; nil tamen obicit, quin hoc nomen *nar' ἐξοχήν* morbo isti convulsivo ab utero oriundo juxta communem loquendi consuetudinem tribuat.

§. 3. Passio Hysterica est motus convulsivus totius corporis vel saltem partium ejusdem, cum sensuum abolitione vel depravatione, perceptione motus in imo ventre & velut globi ascensus, abdominis distensione & murmure, respiratione difficulti, sæpius insensibili, suffocationis periculo, aliisque gravissimis symptomatibus, ab uteri lassione dependens.

§. 4. Cum morbus hic judice *Brun. Lex. Med.* p. 490, sit congeries symptomatum, nemo à me perfectam & accuratam requisiverit definitiōnem. Sufficiat ergo mihi ad exemplum *Willis. Lib. de Morb. Convuls. cap. x.* ex symptomatibus potissimum hunc affectum ab aliis discrevisse, eorumque, cum plura sint, neque unicam causam proximam agnoscant, remotam tantum causam indicasse.

§. 5. Generis loco posui motum convulsivum, quoniam in tali casu corpus variè concutitur & agitatur. Si cui convolutionis vocabulum potius arriserit, mihi quidem non contradixerit. Quamvis enim scriptores Practici haec duo inter se distinguere soleant, & convolutionēm, contractiōnem constantem, motum vero convulsivum, interruptam & per vices redeuntēm vocare soleant; tamen hæc distinctio nullum firmum fundamentum habere videtur, & sola auctoritate nisi, imò ab ipsis ejus Auctoribus non perpetuo attenditur. *vid. Willis. d. I. cap. 1.* Num vero ad hunc morbum efficiendum convulsio semper requiratur, inferius videbimus.

§. 6. Subjectum passionis Hystericæ, ut ex descriptione proposita patescit, est totum corpus vel saltem plerique, aut una atque altera, tam interiores quam exteriores partes. Dico *totum corpus*, unde non placet definitio *Clar. Waldschmidii Instit. Lib. 2. cap. 14.* quod sit *motus convulsivus mesenterii & diaphragma* tantum. An vero una pars, e. g. uterus, mesenterium &c. facilius quam alia, e. g. manus, pedes, soleat convelli, jure meritoque aliquis querere posset. Respondeo: uterum convelli posse ob substantiam nervosam & musculosam, nec non ligamenta nullus dubito, posse etiam in hoc affectu facilius aliis partibus contrahi atque convelli, eò quod materia peccans in eo hæret. Putaverim enim cum *Willis. d. I. cap. 6.* non omnem convolutionis causam hærente in cerebro,

I N A U G U R A L I S.

cerebro, sed s^epe in sola parte affecta; nervos nempe & nervosas partes circa extremitates suas posse irritari & vellicari, ut pr^ater-naturales contractiones efficiant; ut ex vulneribus nervorum ad oculum patet. Ita fieri posse, ut pars nervosa uteri ab irritante aliqua materia acida acri convellatur & contrahatur, uterusque propter vicinitatem & propter communes nervos ab intercostalibus oriundos, mesenterium atque intestina in consensum trahat. Hoc tamen rarius fieri, quin materia peccans ab utero sanguini prius permisceatur, cum eo ad cerebrum ascendet, ibique principium nervorum occupet, vel etiam plexus nerveos, ut eleganter *Willis. d. l. docet*, idque ex dissecto aliquo cadavere probat, ut Spiritus animales liberè permeare nequeant, & sic modo uterum, modo alias partes, vel aliquas vel omnes convellant. Neque vero mihi quis objiciat, in abdomen semper vel saltem plerumque esse sensum alicujus molis ascendens, & motus in abdomen, adeoque procul dubio uterum plerumque pr^a cæteris partibus convelli. Iste enim sensus non semper videtur à convulsione oriri, quin potius à flatibus distendentibus & extendentibus, ut inter symptomata ostendetur. Subjectum vero radicale & causæ semper statuo esse uterum, in quo materiam aliquam vitiosam generari posse extra ullum dubium positum est. Quod si enim uterus infons sit, quis quæso affectum istum Hystericam passionem dixerit? Unde in hac quidem re cum *Celeb. Willis. d. l. c. x.* non possum facere, qui hunc morbum etiam infonte utero fieri posse, & affectionem Hystericam ad cerebrum & genus nervosum spectare omniaque symptomata HystERICA exinde oriri contendit. Errare etiam summopere illi mihi videntur, qui hunc morbum planè non dari existimant, i. e. omnia ista mala & symptomata superius recensita nunquam dependere ab utero sed ab Hypochondriis, adeoque ad passionem Hypochondriacam spectare, cujus opinionis est *Celeb. Sylv. Prax. Med. Lib. iv. Tract. 7.* Utut enim concesserim, omnia ista symptomata etiam à viscerum sub Hypochondriis sitorum vitiis provenire; non possum tamen negare, vitiosam ejusmodi materiam etiam in utero gigni, cum etiam illud membrum sit quasi viscus aliquod secretarium, quo mediante sanguis menstruus vel semen muliebre vel particulae nutritiæ tempore ingavidationis pro nutriendo scetu stato tempore excernuntur & secernuntur, atque adeo facilimè stagnatio ibi fieri & sic sanguis & inde producti humores, spiritusque animales infici & depravari possint. Et sane experientia testatur, foeminas illas, quæ suppressionem mensium &c. patiuntur, huic malo pr^a aliis esse obnoxias, viros verò ab defectum hujus cause rarissimè ejusmodi symptomatibus af-

DISPUTATIO MEDICA I

fici. Novimus etiam quot & quam varia symptomata, qualia sunt nau-
sea, vomitus, cholera, pica, tormina ventris, palpitatio cordis, & plu-
ra alia, ipsæque Passiones Hystericæ ingravidationem ob suppressa menstrua
illlico insequi soleant. E contrario testatur experientia, illas foeminas
raro Hystericis tentari Passionibus, quæ nullam suppressionem aut seminis,
aut sanguinis menstrui, aut lochiorum patiuntur. A Sylvio parum differt Bar-
bette in Prax. L. iv. c. 9. qui ad scorbutum refert, atque antiscorbuticis curari
posse existimat. Sed eadem, quæ de *Sylvii* opinione dicta sunt, facile huc
accommodari possunt. Unde etiam *Celeb. Decker. in Comment. ad eundem*
ab eo jure dissentit. Neque consequentiam esse puto: hoc malum cura-
ri potest antiscorbuticis, ergo sub scorbuto comprehenditur. Scimus,
medicamenta hæc vel illa non unum tantum morbum, sed plures sæpius cu-
rare. De aliorum sententiis, ne prolixior sim, nihil addo. Cæterum
dum uterum subjectum radicale statu, includo ea, quæ ipsi im-
mediate connexa ad generationem hominis concurrunt, ovarium puta
cum tubis Fallopianis, vaginam uteri cum sinu pudoris, quippe quæ vel
sanguinis menstrui vel seminis sunt excretoria vel etiam retarda-
toria.

§. 7. Sed satis de subjecto, pergendum ad causas, eoque partim con-
vulsionis, partim reliquorum connexorum affectuum symptomatum-
que. Convulsionis causam esse vel glandularum cerebri aliquam obstru-
ctionem, vel nerveæ & musculosæ uteri substantiæ vellicationem, in §.
priori indicatum est. Si quis propiorem desideret, poterit illa spirituum
impetuosus in nervos influxus statui. Jam vero causæ remotiores & pro-
caractricæ sunt considerandæ. In definitione ob plura symptomata ge-
neralius locutus sum, & *uteri læsionem* loco causæ omnium posui. Hic
vero specialius determinandæ sunt causæ, nam non quævis læsio uteri il-
lico passionem efficit hystericam. Sed et tantum, quæ vel genus nervo-
sum in cerebro obstruere, vel etiam uterum immediatè vellicare possunt.
Utrumque efficere potest materia aliqua per stagnationem in utero vi-
scida & acida redditæ, & vel ibi effectum suum edens, vel etiam cum san-
guine ad cerebrum delata & glandulas cerebri aliquantum obstruens, ut Spi-
ritus animales non liberè, sed cum impetu transire & sic convulsionem efficere
cogantur. Videamus ergo res naturales, non naturales & præter naturales,
quotquot nempe stagnationem aliquam in utero, sanguinemque viscidiorum
reddere valent. E naturalibus ad convulsionem hystericam disponunt tempe-
ramentum phlegmaticum, magis vero melancholicum. Sexum etiam foemini-
num huic morbo tantum obnoxium esse, vel solum nomen indicat. Quod
enim

enim *Willis.* pūtāt, viros in similem modum ut fœminas nonnunquam affici; id quidem concedo, nequaquam tamen à cerebro solo, ut ille vult, neque etiam ab utero, sed ab hypochondriis dependere existimō, unde nec hysterice passiones ullo modo dici possunt. Ex fœminis vero magis vexantur hoc malo per longum tempus cœlibes, quales sunt virgines moniales, ob seminis suppressionem. De viduis juvenculis, quæ antea consuetudini virorum assuefactæ fuerunt, jam vero se continere coguntur, idem dicendum. Facilius etiam fiunt hysterice gravidae ob menstruorum suppressionem. Si ætatem spectemus, tum demum fœmellæ patiuntur hoc malum, quando pubescunt, & sanguis menstruus prorumpere solet, paucis fortè rarioribus casibus exceptis.

§. 8. Ex non naturalibus potissimum huc facit Aëris frigidus, tempore præprimis lochiorum fluentium admisus. Odores fortiores. Cibi nimis acidii, viscidii, flatulentii, fermentabiles. Potus acidus, fœculentus, turbulentus. Quies & somnus nimius, vita sedentaria & similia. Præprimis autem retenta quæ excerni debebant hic peccant. Huc refero sanguinis menstrui, lochiorum & seminis suppressionem. Quanquam vero *Plat.* Tom. I. *Prax.* p. 38. & 367. nec non *Carol. Piso de Colluv.* Serof. p. 161. de semine hoc non concedunt, quod parva ejus sit copia, & viæ adsint, per quas regredi possit; negari tamen nequit, semen stagnare & hinc eadem symptomata, quæ alii humores stagnantes, efficere posse. Unde post mortem testes muliebres in hysteris pugno majores nonnunquam reperti sunt, teste *Riol.* in *Anthropog. Vesal.* aliisque. Inter pathemata animi huc faciunt præceteris miceror, tristitia, terror. Et præter hactenus recensitas res non naturales alia quoque nonnunquam aliquid ad hunc morbum conserunt, quæ tamen facile suppleri poterunt.

§. 9. Sequuntur præternaturales, quales sunt lœsiones graviores ipsius uteri præcipue post partum. Huc prolapsus, huc inflammatio, huc ulceræ ejus, & si quæ alia huc referri possunt.

§. 10. Convulsionis causis ponderatis, ad reliquos concurrentes affectus & symptomata me consero. Enarravi supra in definitione varia, non quod omnia semper præstò sint, aut quòd plura adesse nequeant; sed quòd hæc sint potiora, & vel pleraque vel cuncta hystericas vexent. Ita non semper sensus abolentur, licet plerumque depraventur. Ita data sunt exempla earum, quæ ridebant, ridicula loquebantur vel faciebant, varias gesticulationes tempore paroxysmi exercebant. Quale exemplum de moniali quadam refert *River. Prax.* f. 213. & *Carol. Piso de Colluv.* Serof. p. 182. de fœmina, cui cæteri sensus abolebantur reliquo solo auditu & visu, ita ut levem

leuem memoriam auditorum & visorum post paroxysmum haberet. Causa hujus abolitionis vel depravationis sensuum est cerebrum & nervosum genus obstructum plus minus à materia aliqua peccante ab utero cerebro communicata.

§. 11. Sed notabile est illud symptoma, quod motus aliquis in imo ventre & ascensus molis vel globi cuiusdam ad superiora sentiat, adeo ut nonnullæ hystericæ uterum in fauces usque ascendisse sibi persuadeant. Quænam mirabilis hujus phænomeni causa sit, multis hactenus disputatum est. Sententia veterum quænam fuerit, ex Joële discere est. Et quoniam ipse huic sententiæ subscribit, apponam hic verba ejus, quæ habentur Lib. VIII. S. I. p. 444. Πρὶς υἱός πονή, inquit, εἰσ, ἵδι ματρίς καπακίας φλεγμονής τετρισκε υπορίβων in ea excitatis inflatur & distenditur, & sursum elevatur, & primum ventrem ac intestina, mox ventriculum, ac deinde ipsum diaphragma, quod principalissimum est respirationis organum, coarctat & multo flatu comprimit, & respirationem vocemque intercipit, ita ut misera mulier instar mortue jaceat. Conf. de hac sententia veterum Waldschm. in Cas. XVI. Timæ à Guldenklee. Et hac de re loqui ajunt Hippocr. de nat. muliebr. cum ait: Si ueri ad hepar accessoriū, muta drepense sit, & dentes conserui & color niger sit, patitur autem subito sana existens. Conringit autem hæc passio virginibus maximè antiquis & viduis, que juvencula sunt & pepererunt ac vidua manent &c. alisque in locis pluribus. Atque hujus sententiæ sunt veteres tantum non omnes. Fernel. l. 6. Pathol. c. 16. ait: se hunc ascensum frequenter tactu deprehendisse, sapsque uterum manus in locum fuisse restitutum. Sennertus vero Fernelium aliquo modo correcturus putat, non ipsum uterum fuisse, sed testes & tubas Fallopianas: esse enim corpus pendulum flatibusque repletum. Verum enim vero hæc sententia à Recentioribus planè est explosa, cum Anatomia doceat, uterum firmiter alligari intestino recto, vesicæ urinariæ, nec non ligamentis suis duplicitibus ossi ilium & pubis non quidem quoad fundum, sed quoad latera conjungi, unde in prægnantibus fundus quidem ampliari & aliquantum elevari, minime vero ad hypochondria usque & diaphragma pertingere potest. Neque etiam ovarium seu testes mulieres ascendere eosque queunt, nam & ipsi utero ejusque ligamentis sunt connexi. Unde alia hujus rei causa quærenda. Highmorus causam adscribit sanguini in pulmonibus stagnanti eosque distendenti, unde diaphragma deorsum pellatur, abdomen elevetur, & propter diuturniorem diaphragmatis dia stolæ globus quidam ascendens appareat. Sed ecce respiratio frēpe libera vel saltē parum impedita in nonnullis hystericis est, sensu isto globi ascen-

ascendentis nihilominus manente. Vid. plura ap. *Willis. de Morb. Convuls.* cap. x. Dictus vero *Willisius* ad genus nervosum plexusque mesentericos haec omnia refert: dicit enim, propter elisionem spirituum animalium imas hypogastric parts attolli & contrabi, & inde molis ejusdam, quasi uteri ascensum induci. Haec sententia etsi non omnino rejicienda sit, cum hic affectus sit convulsivus, adeoque & uterus, & una cum eo ob communes nervos mesenterium cum intestinis convelli possit; nullam tamen video rationem, cur soli huic causae phænomenon hoc attribuatur. Et quid obstat, quin statuam, uterum cum dictis vicinis partibus flatibus exhalantibus ex glandulis & latibulis uteri ob stagnantem aliquam viscidam acidamque inibi materiam, nec non mesenterii, ita distendi attollique, ut globum talem ascendentem simulet. Sane flatulentos humores in hysterics non parum peccare ex omnibus circumstantiis patet, unde plerumque audiuntur rugitus, murmura, adest vertigo, tinnitus aurium & ejusmodi.

§. 12. Sed longè gravius symptoma est respiratio difficilis & serme impedita, nec non strangulationis metus, quam ob causam *Helmont.* passionem hysterica *asthma muliebre* vocavit. Hoc symptoma adeo grave sæpe est, ut hystericas per aliquot dies mortuas simulent, nec ullo modo respirare videantur. Testatur *River. Prax.* f. 451. & *Piso de Colluv. Soref.* p. 147. quasdam pro mortuis habitas jam fuisse sepulturæ destinatas. Putant hic multi respirationem in talibus omnino ad tempus cessare posse & inter hos *Celeb. Sylv. Prax.* l. 1. c. 22. aitque *respirationis tunc nullam esse necessitatem ob nullum in cordis ventriculo dextro notabile excitatum sanguinis incendium, unde sanguinem rarefactum nulla indigere condensatione.* Quam sententiam de effervescentia sanguinis in cordis ventriculo dextro considerare, non est hujus loci. Quicquid sit, ego hac vice facio cum *Galen.* l. 6. de loc. aff. dicente: hominem sine respiratione vivere non posse, adeoque nec hystericas. Sicut nec foetus in utero absque omni respiratione esse, vel exinde patet, quod nutritur per os, deglutitio seu suuctio vero absque respiratione fieri nequeat, observante *Celeb. Wedel. Aman. Mat. Med.* p. 86. Unde nec urinatores ab omni respiratione cessare putaverim. Respiratio ergo etiam in hysterics quamvis sæpe nullâ ratione observabilis datur: unde & *ātria* dicitur, quia talis appetet: Aliás cessante omni motu pulmonis, cessaret motus sanguinis, cessante hoc, cessarent omnes actiones tam vitales, quam animales, & sic subitanæ existeret mors. Sed antequam miseræ hæc feminæ in talem *ātrias* incidunt, præcedere solet constrictio faucium & metus strangulationis, ita ut nonnullæ putent,

uterum in fauces ascendentem viam aeris precludere sibi suffocationem minari. Quenam causa periculosa hujus asthmatis sit, nunc disquiramus. Celeb. Willif. pro more suo hic iterum omnia ad cerebrum & genus referat nervosum, nempe *septi convulsionem*, ait, aliquando versus superiora contingere; adeoque illud passiones sursum impellentes, thoracis systolem violentiam & diutius quam par sit protractam inducere; cumque hac ratione sanguis, in vasa pneumatica propellatur, nec denuo a cordis sinus excipiatur, ibidem ac in toto præterea corpore cum stagnare, unde cordis oppressionem & sepe leipo-thymian, immo interdum *anxia* & *asthma* insequi &c. Hæc Willif. opinio ut ut aliquando possit procedere, præsertim si *anxia* hæc non diu durat, & dum strangulationis sensus est, non tamen mihi persuadere valeo, septum transversum ita convelli posse, ut per 2. vel 3. integros dies elevatum maneat, &c, quod paulo ante quoque observatum, nil obstat, quo minus statuam concurrere hic quoque aliquando causam asthmatis communem graviorem tantum, nempe vesicularum pulmonarium ingentem obstructionem à materia viscida illuc à sanguine sicut ad alias quoque corporis partes & cerebrum delata, & obstruente, & ab utero ejusque vasis obstructis sanguini communicata, oriundam.

§. 13. Præter hæc nonnunquam alia conjunguntur symptomata, qualia sunt, vomitus & alvi fluxus, notante River. Cœnt. I. obs. 32. vertigo, oculorum contorsio, *anxia*, *asthma*, totius corporis refrigeratio, alvi adstrictio, cardialgia, palpitatio cordis &c. Quæ tamen omnia ex superioribus facile deduci poterunt. Festinandum enim ad cætera.

§. 14. Habet hic morbus suas differentias, nec non diversos gradus, aliquando existit sine convulsione, aliquando cum ea est conjunctus, & quidem plerumque, ita quidem ut vel totum corpus convellatur, vel solum pars eius, præcipue uterus, mesenterium, intestina, diaphragma. Si totum corpus convellitur, non differt ab epilepsia, nisi ratione subjecti cause & radicalis. Celsus quidem Medicin. Lib. 4. cap. 20. hæc duo ita distinguit: *interdum hoc malum*, passio scilicet hysterica, sic exanimat, ut tanquam comitiali morbo prosternat. *Distat tamen hic casus*, eò quod neque oculi vertuntur, nec spume profluunt, nec nervi distenduntur: sopor tantum est. Sed hanc differentiam vix perpetuam esse censeo: nihil enim obstat video, quin eadem symptomata hystericas, quæ epilepticis, ob communem causam ratione loci tantum differentem superveniant. Unde Willif. I. *sapientis alleg.* oculorum inversionem & rotationem inter symptomata hysterica referat. Quod autem supra hysterica passionem per motum convulsivum definiverim, id de hysterica passione exquisita intelligendum est. Porro in aliis

aliis sensus externi abolentur, in aliis simul interni, in aliis neutri. In aliis est periodica & stata tempore rediens, in aliis non ita se habet. Et si quæ alia sunt differentiae. *Vid. River. Prax. f. 451.*

§. 15. Unde passio hysterica dignosci queat, ex hac tenus dictis, præpriorum ex proposita descriptione sufficenter clucere arbitror, nempe ex convulsivis motibus, abdominis elevatione, sensu motus & ascensus molis cuiusdam in abdomine, metu suffocationis, respiratione difficiili, sœpe ad sensum planè sublata. Quæ vel conjunctim omnia vel pleraque hoc malum adesse nobis suadent. Utque eo certiores simus ab utero procedere hæc symptomata, dispiciendum, an suppressiones excernendorum præcesserint, nec ne. Si hoc, ab hypochondriis, si illud, ab utero malum derivari concludemus. Prolixius hæc deduxit *Lommiss Medicinal. Observ. L. 2. p. 271.* qui videri potest. Signa vero imminentis hujus affectus apud *River. in Prax.* inveniri possunt. Ut brevibus dicam, sunt omnes isti affectus, qui à viscidis & flatulentis humoribus oriuntur. e. g. corporis insueta conturbatio, vertigo, vigiliae aut nimius somnus, insomnia turbulentia, oblivio, mœstitia, tremores, oculorum hebetudines, cardialgia, tinnitus aurium &c.

§. 16. Quomodo passio hysterica ab aliis convolutionibus, in specie epilepsia differat, ex superioribus colligere est. A *Syncope* differt quod pulsus aliquis ut plurimum adhuc sentiatur licet debilis, sudor frigidus raro erumpat, nec facies tam pallida, sed potius tumida, magisque rubicunda sit, neque suaveolentibus vel raro saltē juvetur, judice *Decker. in Comment. Barbet. Lib. iv. cap. 9.* Ab *Apoplexia*, dum in hac omnes actiones animales subito evanescunt, manente tamen respiratione sensibili cum stertore. Hystericas vero punctæ plerumque sentiunt. Apoplectici porro nunquam recordantur actorum in paroxysmo, Hystericas sœpius. A reliquis affectibus soporosis per symptomata Hysterica supra proposita facile discernitur.

§. 17. Sequitur Prognosis. Morbus est chronicus, & raro lethalis, quemadmodum ipsa Epilepsia, nisi forte in senibus, & per longum tempus jam eo vexatis, & in quibus symptomata graviora, ut sunt graves mortus convulsivi, respiratio diutius insensibilis, sensuum omnium abolitiones, asphyxia &c. frequenter recurrent. In junioribus facilius curatur, modo evacuationes suppressæ possint restituī. In senioribus sœpe in paralysin, nec non apoplexiā degenerat. In gravidis & puerperis post partum, si non citius, sua sponte cessare solet, periculosum tamen illis est malum. *Maliari ab Hysteris vexata sternutatio superveniens bonum.* *Hipp. scit. v. Aph. 35.*

§. 18. Restat cura. Hæc ut eo felicius succedat, alia in paroxysmo, alia extra eum adhibenda. Utrobique autem scire Medicum oportet, num mulier gravida sit, nec ne. Si enim prægnans ea sit, à fortioribus medicamentis abstinentur, ne foeti noceamus. Sufficiat malum blandioribus lenire, si radicitus tollere non licet, quoisque detur commodior occasio, scilicet post partum, tunc etiam plerumque sua sponte per lochia ritè fluentia evanescit. Alias in paroxysmo graviori patiens ante omnia est excitanda variis modis, acclamationibus, frictionibus, vellicationibus, pilorum evulsionibus, punctionibus & similibus. Quod si vero convulsiones epilepticae conjunctæ, videndum, ne ægra sibi damnum inferat præmordendo lingua, cautè aliquid in os intrudendo, manus & digitii extendantur, sic enim spiritus eo faciliter regularem motum acquirunt. His nihil proficientibus, medicamentis rem aggrediamur. Injiciatur clyster acrior aliquantum ex herbis & floribus emollientibus in aqua simplici coctis addito stimulo ex Sale communi, vel Tartari. Si periculum in mora, vel sola aqua calida sale & saccharo acuata sufficit, item urina calidè injecta. Nonnunquam suppositoriis acrioribus ex Hiera picro, Fell. taur. Colocynth. Scammon. alvus stimulanda, si clysteres tardius operentur. Venæ sectio vero in paroxysmo locum non habet. Si nec hæc juverint, spirituosa naribus admoveantur, ut sunt: Spiritus Cornu Cervi, Eboris, Fuliginis, Urinæ, Salis Ammoniaci cum Calce potissimum viva paratus, &c. Salia Volutilia. Aquæ Apoplecticæ & spirituosæ variæ. Præterea varia foetida Hystericarum solatia: Castoreum, Assa foetida. Huc suffitus ex graveolentibus e. g. pilis, cornibus, setis, pennis perdicum &c. Notabile enim est, à rebus suaveolentibus passionem excitari, à graveolentibus sublevare. Ratio est, quod suaveolentia spiritus jam dum obrutos moveant, non promoveant, non dissipent. Foetida vero, ubi sal volatile predominatur, dissipent, & sulphur impurum in M. S. vigorent, ut loquitur Celeb. Wedel. Amœn. p. 23. unde gagates strangulationes uteri valide tollere dicitur vid. d. l. p. 198. seq. Attendendum tamen existimo ad idiosyncrasias, quædam enim nec Castoreum perferre queunt. vid. Horst. C. 1. Obs. p. 582. Huc pertinent ptarmica & alia plura. Quidam pudendis admovevi jubent suaveolentia. Verum ab his parum auxillii sperandum. Si hæc externa nihil, vel tardè operentur, & possit fieri, interna quoque adhibenda, & per os infundenda, qualia mox præscribentur. In paroxysmo leviori eadem spirituosa & penetrantia hactenus recensita converniunt.

§. 19. Extra

§. 19. Extra vero paroxysmum ad causas potissimum respiciendum, ut tollantur, & sic novis paroxysmus præveniatur. Et quidem ē Chirurgicis remediis Venæ Sectio, licet raro, locum haber, si nempe plethora conjuncta fuerit. Vesicatoria verò, setacea & fonticuli in copia pituitæ aliquid juvare possent.

§. 20. Potissima spes in Pharmaceuticis sita est. Sunt ea vel interna vel externa. Interna vel evacuantia vel alterantia. Evacuantia pro diversitate indicationum variant. Modo enim possunt esse vomitoria, si sanguis in ventriculo hæreat, & exitum affectet; modò laxantia, vel etiam purgantia, si primæ viæ cruditatibus & flatibus repletæ; modò diaphoretica & diuretica, si serum quantitate peccet. Alterantia vero sunt varia. Primo sunt digestiva, quæ in morbis chronicis maximè solent esse necessaria, & à Practicis in doctrina de *malo hypochondriaco* prescribuntur: qualia sunt omnia aperientia & inter ea martialia, hypochondriacorum & quorum sanguis particulis viscidis, acidis, crassis abundat, solatia, atque adeo etiam acidulæ. Quæ singula hactenus dicta quando convenient, & quomodo sint adhibenda, impossibile est hic determinare, cum affectus hic varias induat formas, varia complicata habeat symptomata, & à diversis causis oriatur. Alterantia deinde, quæ hic sere semper convenient, sunt nervina, carminativa, omnia scilicet, quæ sanguinis visciditatem corrigunt, ei vigorem conciliant, obstructionem nervorum impediunt, & spiritus animales promptos & expeditos reddunt. Talia sunt omnia spirituosa, volatilia, urinosa & oleosa, e.g. spir. Sal. Ammon. simplex, vel anisat. succinat. Urin. C. C. Eboris &c. Essent. Castor. Succin. Myrrh. Croc. Aquæ spirituosa, Apoplecticæ, Epilepticæ, Hystericæ, Carminativæ variæ variorum Auctorum. Meliss. Matricar. Puleg. Lil. Conv. Lavend. &c. Olea Stillat. Succin. Camph. &c. Deinde terrea & absorventia, quæ acidum absorbendo vigorem sanguini reddunt. Inter ea eminent Cinnabarina egregia nervina, quæ ratione terrearum particularum acidum absorbent, ratione Mercurii visciditatem dissipant, ratione Sulphuris sui sanguinis motum & calorem promovent. Huc Cinnabaris Antimonii, &c, quæ ferè præstat, nativa. Vid. Celeberr. Ludov. Pharm. p. m. 154. Pertinent etiam huc Salia alcalia fixa. Huc pulveres varii Epileptici variorum. Inter carminativa egregia sunt Salia volatilia oleosa diversæ compositionis. Nec anodynæ & opiatæ hic excludenda. Unde Celeb. Wedel. Opiol. p. 127. divinum ea vocat in passione hysterica remedium. Subjiciam paucas formulas. &c. Aq. Meliss. Puleg. Lavend. aa. ʒij. Eff. Castor. volat. ʒj. Succin. ʒβ. Croc. ʒβ. Sirup. Cort. Citr. ʒvj. M. D. cochleatim. Vel, &c. Aq. Meliss.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

Meliss. Puleg. a. ʒi. β. Theriac. S. ʒvj. Tinct. Castor. ʒij. Spir. Sal. Ammon. Anis. Əj. Ol. stil. Macis. Succin. aa. gut. iij. Sirup. Foenic. ʒβ. M. D. fæpius. ℞. Aq. Epil. Lang. Ceras. nigr. aa. ʒi. β. Liq. C. C. succin. ʒβ. Eff. Anod. Əβ. Sir. Cort. Aurant. ʒβ. M. D. cochl. ℞. C. C. præp. Succin. præp. Castor. a. ʒβ. Cinnab. nativ. vel Antim. gr. xvij. Ol. Succin. Ruth. aa. gut. j. M. Pro 3. l. 4. dos. ℞. Succin. præp. Oc. cancr. præp. Antim. Diaph. a. Əj. Cinnab. Antim. Əβ. Laud. Op. gr. ii. M. Pro 2. vel 3. dos. Externa sunt Emplastr. de Galb. de Tacamah. cum Ol. Castor. additis still. Ruth. Succin. Ungu. Nervin. Ol. Lumb. terr. Stil. Succin. Lavend. &c. partim abdomini applicata, partim Spinæ dorsi inuncta.

S. 21. Restat diæta, de qua parum dicendum habeo. Ex iis enim, quæ superius de rebus non naturalibus dixi, facile patet, quomodo sint usurpandæ. Vitentur potissimum viscidi, acidi & duriores cibi: vinum parcissime concedendum. Vitetur etiam ira, incestitia, vita sedentaria. Si manum a semine vel sanguine menstruo suppresso sit ortum, conjugium suadeatur. Alvus servetur aperta.

SOLI DEO GLORIA!

